



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Basilea Sacra Sive Episcopatvs Et Episcoporvm  
Basileensivm Origo Ac Series**

**Sudan, Claudio**

**Brvntrvti, 1658**

Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11463**

*Ad Lectorem.*

Benevole Lector, Basileam sacram in lucem  
damus, non profanam, illamque scriptam  
brevi stylo narratione succincta, quæ historiæ  
minimè necessarias lacinias præciderit, & lon-  
giores evagationes consultò inhibuerit. Proin-  
de, ne tua curiositas hic expectet Antiquitatum  
copiam, quâ aliorum Authorum prolixitas tuam  
exsaturare famem possit. Fateor tamen, jejunam  
hanc brevitatem inde quoque provenisse, quod  
Antiqui Scriptores, præsertim verò primis fæcu-  
lis & pauci & non satis accurati de quibusdam  
Episcopis Basileensibus, præter solum ferè no-  
men, aliud nihil memoriæ prodiderint. Propo-  
siti nostri una fuit ratio ut huius Dioecesis, Ec-  
clesiastici præsertim viri, quibus ad manum gran-  
diora non sint volumina, fortè etiam fastidium  
creet spatiofa historiarum ubertas, magis neces-  
sariam eorum notitiam eruditioñemque accipe-  
rent, quæ ignorare indecorum, scire pulchrum,  
in familiaria verò colloquia inferre, pius sit,  
utile prorsus, ac saluberrimum. Res quidem  
Basileenses eruditè pertractavit Vrſtius, alios  
secutus Authores: sed quia promiscuè habet sa-  
cras & profanas, molestum erit illi, qui non nisi sa-  
cræ lectionis delectum exoptat. Deinde, cùm  
hic Author Germanico idiomate scribat, eius  
Codex subservire non potest plerisq; in hac Dioe-  
cesi sacerdotibus, qui tantum Gallicè callent.  
Accedit, quod eius narratio, quandoque minùs  
pura fluat, velut aqua per vitiatum canalem tradu-  
cta;

Et a : potissimum ubi agitur de mutatione Religionis, sacris ritibus &c. Alterum est, quod te monitum velim, candide Lector, nos uti quibusdam subinde vocabulis, quæ licet vetustæ Latinitati haud satis consonent, receptæ tamen loquendi consuetudini sint accommodatoria. Alia verò diversimodè scribuntur ab Authoribus : quod & nos absque religione fecimus. Huiusmodi sunt, Bisuntum, Bisuntium, Vesontio : Bisuntinus, Bisontinus, Vesontinensis : Rauricus, Rauracus, Rauricensis, Rauracensis, &c. Denique Chronologiam subinde , propter rationes utrimque pugnantes, non ita probari posse , ut convincat. Si tua eruditio, quod fortè difficile non erit, errores ostenderit, nostros perlubenter dedocebimus, te veritatis historicæ, quam se-ctati, si non assecuti sumus, feliciorem Assertorem venerabimus. Nævos etiam Typographicos, quos ad libri calcem annotavimus, tua, spero, condonabit huma-nitas.

BASILEAE

